



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XXXIV. Pensionis, quæ nondum exacta, post mortem Pensionarii adjudicatur Hæredibus ejus in locis, ubi spolium Cameræ Apostolicæ locum non habet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](#)

CONSILII XXXIV.

In causa Pensionis cuius portionis exigitur ab hæredibus post mortem Pensionarii.

SUMMARIUM.

1. *Facti species.*
2. 4. *Pensiones inexactæ cadant sub spolium juxta stylum Camera Apostolica.*
3. 5. *Quale jus habeat Ecclesia ad Pensiones à defuncto Pensionario nondum exactas?*
6. seqq. *Varia sententia, qua proportione Pensiones decursa debeantur hæredibus Pensionarii defuncti.*
9. seqq. *Recipitur opinio eorum, qui Pensionem solvendam esse dicunt pro rata fructuum, tem-*

FACTI SPECIES.

Titio in certo loco Italæ à summo Pontifice concessa est Abbatia quædam, cum onere Pensionis annuæ solvendæ illi, qui in Abbatia hac residet, & vice ipsius fungitur. Pro hujus Pensionis solutione constituti sunt duo termini, unus festo Nativitatis S. Joannis Baptiste, alter festo Nativitatis Domini. Pensionem decursam pro festo Nativitatis Domini ultimo elatio Titius Pensionario solvit. Moritur interea Pensionarius mense Martio sub ejus finem: consequenter usque ad tempus solvendæ alterius partis ex pensione imposta à morte Pensionarii supererant tres menses. Reliqui autem Pensionarius post le hæredes.

QUÆRITUR

- Utrum portio pensionis, qua correspontet tribus mensibus, ab ultimo termino elatione transactis, debeatur Pensionarii hæredibus, an verò maneat Titio, vel potius hanc partem iure spolii sibi vindicare Camera Apostolica possit?
2. EX una parte videtur iure spolii ad istam partem prætensio quæsita esse Cameræ Apostolice; nam,

ut Cardinalis de Luca de Pensionib. dis. 28. n. 3. testatur, & ex eo refert Leu. ren. p. 3. for. Benef. q. 559.

Camerales, freti quadam Constitutione S. Pii V. sumpta per argumentum à sensu contratio prætendent, & defacto practicant, ut ad instar fructuum inexactorum Beneficii, Pensiones quoque inexactæ à Pensionario defuncto cadant sub spolium, & spectent ad Cameram: atque hoc, non obstante, quod Pensionarius defunctus forte habuerit Indultum Apostolicum testamentum condendi; nam hoc Indultum per Constitutionem Urbani VIII, non suffragatur super fructibus inexactis, juxta ea, quæ ad hanc materiam habentur apud allegatum Card. de Luca de Benef. dis. 81.

Ex altera verò parte videtur portio ista non deberi hæredibus, sed accrescere Ecclesiæ, seu ipsi Titio intitulato in ea Ecclesia: & hoc ex dupli ratione. 1. Quia Pensio extinguitur morte Pensionarii: consequenter non transmittitur ad hæredes ejusdem actio ad Pensiones non decuras exigendas imposterum. Videtur autem non esse decursa Pensio, cum ad eam solvendam à morte Pensionarii superfuerint tres integri menses. 2. Pensiones istæ imponuntur super fructibus Beneficiorum; consequenter horum naturam sequuntur. Fructus autem Beneficiorum non exacti, si interea moriatur Beneficiarius, non transeunt ad hæredes ejusdem siue ex testamento, sive ab intestato, sed reservantur successori ejusdem, quippe qui est quasi hæres defuncti antecessoris in Be-

nefi

(Yy 3)

CONSILII XXXIV. PENSIONIS.

neficio, ergo nec Pensio non exacta ad hæredes Pensionarii transit, sed coalescit cum fructibus beneficij, donec iterum in favorem alterius Pensionarii nova pensione gravetur.

4. Quoad ea, quæ num. 2. dicta sunt de jure spolii, quo Camera Apostolica Pensiones inexactas sibi post mortem Pensionariorum vendicat, omnino servandus est stylus in eadem Camera usitatus: consequenter si ita ferat hic stylus, hæredes Pensionarii circa partem Pensionis decursum, nondum exactam à Pensionario, in quantum hæc ipsi fuisset debita, si supervixisset, nihil possunt prætendere, nisi ve- lint cum eadem Camera circa hanc portio- nem componere, quod securius, tutiusque erit, & factum in casu sibi proposito ab hæredibus esse testatur laudatus Card. de Luca discurs. 28. eis. Addidi autem, circa partem pensionis inexactam, & in quantum hac ipsi Pensionario fuisset debita, si supervixisset; plus enim nec Camera, nec post compositionem cum ista factam hæredes Pensionarii possunt exigere, quam quod exigere Pensionarius ipse tempore mortis suæ voluisse: quoad reliqua vero deinceps decur- rentia ipsa morte Pensionarii acquisitum est ius illi, qui ad Pensionem fuerat obligatus. Etrato est, quia Pensio, ut dictum est n. præc. extinguitur morte Pensionarii; con- sequenter beneficium, vel Abbatia, pen- sione onerata sibi libera, in libero autem be- neficio omnes fructus accrescent beneficia- rio, nisi constet aliter dispositum esse. er- go &c.

5. Ad argumentum 1. num. num. 3. propositum videtur distinguendum, scilicet per mor- tem Pensionarii Pensionem extinguiri quo- ad fructus deinceps decursuros, & quo- rum jus nondum quæsumum fuit Pensionario, conceditur; quoad fructus autem jam decuros, & in quibus jus actu jam acquisi- tum est Pensionario, negatur; quoad hos enim, si Camera, ut dictum, illos non vendicet, prætensionem meritò fa- cere hæredes Pensionarii possunt, sicut cir- ea alia ejusdem bona patrimonialia, quippe quibus Pensiones hujusmodi accen- sentur. In quantum autem Pensio decursa censeri debeat, in qua dies solutionis fa- ciendæ nondum cessit, dicetur infra num. 9. & seqq. Ad 2. dum inter fructus beneficiales, & Pensiones fructibus beneficialibus impositas lata disparitas est; nam fructus beneficiale, quia præbentur titulo spiri- tualis officii, sunt aliquid spirituale, vel spirituali annexum; Pensiones autem ejus- modi sunt aliquid merè temporale, quippe quæ præbentur alimentorum loco, & com- petere etiam laicis possunt. Hinc ictis ar- gumentis non obstantibus, cum commu- ni DD.

Gigas de Pension. q. 52. Lotter. l. 1. q. 44. n. 16. Mareschott. l. 2. var. re-

solut. c. 2. Tondut. qq. benef. p. 1. c. 22. n. 2. Leuren. p. 3. for. benef. q. 559. n. 2.

docent, Pensiones etiam non exactas trans- fire ad hæredes Pensionarii, & his debe- ri.

Authores autem isti, qui hæredibus Pen- sionarii Pensiones ab hoc non exactas ad- scribunt, in varias sententias abeunt. Nam 1. Rebuff. de pacif. possess. n. 146. alias 130. apud Garc. p. 2. de benef. c. 1. n. 106. 1 tenet, mortuo Pensionario post principiū anni (intellige, anni Pensionarii, seu qui currere incipit à die Pensionis constituta) Pensionem integrè pro illo anno tran- fire ad hæredes. Rationem dat, quia Pen- sio debetur loco alimentorum, quæ in an- ni principio præstanda sunt

l. sicum præfinitione 20. ff. quand. dies leg. ced. l. in annos singulos 2. & l. filia mea 22. ff. de ann. legat. l. post duos 15. C. de Advocat. divers. judicior.

Sed hanc sententiam ait Garc. l. cit. n. 110. in nulla apud Rotam confideratione fuisse, & usum esse contrarium, prout constat ex decis. 678. fin. p. 4. divers.

Addit Tondut. de benef. Eccl. c. 20. n. 44. quamvis verum sit, pensionem deberi lo- co alimentorum, non tamen propterea se- qui, quod illa debeatur in initio anni, nam, ut autoritate ejusdem Rotæ l. cit. confirmat, etiam quando agitur de bene- ficiatis, pensio illis datur pro alimentis, & pro labore præstito in servitio Ecclesie, & tamen beneficiati non faciunt fructus suos, nisi post illorum perceptionem, jux- ta illa, quæ fusiū deducit idem Ton- dut.

vol. 2. resol. benef. c. 164. Item licet alicui reservetur ususfructus pro alimentis, non propterea sequitur, quod alia habeatur fructuum ratio, quam ea, de qua

l. defuncta. 58. ff. de ususfr. ubi hæredi fructuariz à Scævola sua die ad- judicatur integra pensio, scilicet juxta quanti- tatem fructuum, quos percipit obligatus ad pensionem istam solvendam.

Secunda sententia adscribitur Navar- ro

in Apolog. de eredit. Eccl. q. 2. juxta quem ultra Pensionem, cuius terminus jam lapsus est, nihil debetur hæredibus per titularem, licet ultra illum terminum Pensionarius produxisset vitam: quod ip- sum tenere videntur

Barbos. in l. divortio ff. solut. matrim. p. 2. n. 3. usque ad 44. & Castell. de ususfr. c. 79. n. 17. apud Tondut. c. 22. cit. n. 3.

dum tradunt, solos terminos maturatos transmitti ad hæredes Pensionarii. Et hinc si Pension statuta solvenda sit in festo Nativi- tatis Domini, & S. Joannis Baptizæ, qui alias

alias sunt termini ordinarii, qui statui pro pensione solvenda assolent, & Pensionarius moriatur mense Februario, solus terminus, in festo nativitatis Domini decursus, solvendus erit dictis heredibus, & nihil ex alio tempore jam inchoato. Sed hæc sententia repugnat alteri communiter receptæ, juxta quam termini non ex alia causa statuuntur, quam dividendi pensionem alias solitam, & ad nudam, & commodiorem solutionis præstationem, non autem, quod propterea attendi debeat ratio temporis, quasi ex hujus decursu decerni debeat, quid, & quantum de pensione competitat Pensionario.

Ventr. tom. 2. annot. 11. §. 3. n. 2.
Lotter. l. 1. de re benef. q. 44. n. 3. Leuren. p. 3. cit. q. 361. n. 2.

Tertia sententia

cum Covar. l. 1. var. c. 15. & Garc. p. 2. c. 1. an. 105. ad n. 125. & maxime 120. vult, solutionem pensionis regulandam ex suppuratione temporis, menium, ac diem ab ultimo termino alias maturato usque ad obitum Pensionarii: atque ita, si Pensionarius mortuus est mente Februario, & pro termino ultimo elapsa Pensioni solvendæ statutum est festum Nativitatis Domini, ad heredes ejusdem transibit terminus Nativitatis Domini, licet, quod ibi solvendum fuit, solutum non fuerit, & præterea pro rata temporis decursi à die Nativitatis Domini usque ad diem obitus Pensionarii gaudebunt etiam portione temporis huius correspontente. Fundamentum hujus sententiaz ex eo petunt,

ut ait Tondut. c. 22. cit. n. 3.

quia Pensionarius ex Constitutione S. Pii V.

per Garc. p. 1. de benef. c. 5. n. 17. allegata, tenetur recitare officium B. V. & per consequens ei acquiri debet Pensio pro rata vite Pensionarii, quæ durante is officium prædictum recitavit, maximè cum Pensiones istæ sint ad instar alimentorum, quæ debentur ad ratam temporis, quo vita alimentarii duravit. Huic sententiaz è diametro contraria est

Sententia quarta, quam pleno agmine sequuntur DD. & inter hos

Salicet. in l. fructus. C. de act. empt. Alex. cons. 15. n. 2. vol. 2. & vol. 3. cons. 40. col. fin. q. quid autem dicendum. Tusch. lit. P. concl. 267. n. 8. Monald. cons. 107. per totum. Ferret. cons. 141. n. 5. lib. 1. & cons. 256. per totum. Hondon. cons. 85. n. 13. vol. 2. Riminald. Jun. cons. 634. n. 1. libr. 6. Gabriel. cons. 191. n. 4. & seqq. vol. 2. Bursat. decis. 364. maxime sub n. 6. Gigas de Pension. q. 53. per totam. Caccialup. de pension. q. 25. n. 1. & seqq. Riccius p. 3. resol. 268. n. 1. & 2. Bellet. disquis.

Cler. p. I. tit. de Bon. Cleric. §. 18. Lotter. l. 1. q. 44. n. 16. Cavalcan. de usufr. n. 243. Gratian. discept. forens. c. 548. n. 48. Tondut. qq. benef. p. 1. c. 22. an. 7. Vincent. de Franchis decis. 79. subn. 4. Gambara. de potest. legat. l. 6. n. 598. Ventr. tom. 2. annot. 11. §. 3. n. 8. Card. de Luca de Pension. disc. 28. n. 4. Leuren. p. 3. for. benef. q. 560. n. 1.

& hanc sententiam Card. de Luca l. cit. dicit esse veriorem, atque in Curia, & Rota Romana receptam; Monaldus vero ait, eam in praxi esse sequendam ob ejusdem Rotæ authoritatem, quippe quæ post longum examen eam secuta est contra Durand. decis. 448. per totam: quod etiam videri potest decis. 678. part. 4. recent.

Juxta hos ergo AA. arg. l. defuncta 52. ff. de usufr. Pensionarius ad heredes suos transmittit Pensiones, & has beneficiariis solvere ipsi tenetur non præcisè pro rata temporis, quo vixit Pensionarius, sed pro rata fructuum, tempore, quo vixit Pensionarius, perceptorum per beneficiatum, ad instar simplicis ususfructus, ita, ut si Pensio fuerit imposita tam fructibus, quam distributionibus, attendi debeat, quantum de fructibus perceperit, aut percipere potuerit possessor beneficii onerati pensione s. similiter & quantum ex aliis emolumentis, & distributionibus, super quibus Pensio est imposta, & ad ratam, & proportionem illorum pensio heredibus Pensionarii sic adjudicanda. Ratio est, quia Pensio est præstatio annua: præstatio autem annua regulatur secundum terminos ususfructus

l. in annos singulos 2. ff. de annu. legat. atqui in ususfructu hoc videtur constitutum, ut eatenus ususfructus denique heredibus ususfructuarii debeat, quatenus sunt percepti juxta l. cit. ergo idem statendum est in Pensione.

Neque hic attendi debet, an terminus solutionis evenerit, vel non; nam etiæ nondum venerit dies pensionis solvendæ, vel exigendæ constitutus, si tamen fructus, quorum occasione Pensio debetur, jam erant percepti per debitorem dictæ Pensionis, nihilominus debetur Pensio heredibus Pensionarii defunctorum: idque tum ex paritate cum ususfructuario, cuius heredibus debetur integra Pensio, si fructus omnes, quorum occasione Pensio solvebatur, erant jam percepti per debitorem pensionis,

per textum l. defuncta. suprà allegata, & l. Julianus. §. si fructibus, & ibi Bald. ff. de act. empt. Alex. vol. 2. cons. 157. Gig. de Pension. Eccl. q. 53. n. 2. tum etiam ex ratione; quia ut num. 7. monui, dies non videretur adjecta ex alia causa, quam ex causa solutionem alias solidam dividendi, nudamque ejus præstacionem pro certo tempore designandi, ita ut

IO.

II.

nec Pensionarius antē possit exigere pensionis partem, nec titularis teneatur solvere: consequenter termini statuti cōmoditatem solutionis, non substantiam Pensionis concernant, sed totum pendeat à perceptione, & qualitate fructuum.

Lotter. de re benef. l. 1. q. 44. n. 3. Card. de Luca de Pensionib. disc. 28. n. 2. ubi dicit, hanc opinionem esse veriorem, & tam in Rota, quam in Curia receptam, sive decimū esse sibi, nullā ratione habita terminorum.

12.

Hinc cum aliis

Caccialup. de Pensionib. q. 25.

ad quæstionem, utrum Pensionarii defuncti hæredibus debeatur Pensio nondum exacta, distinguunt inter tres casus. 1. quo fructus omnes, quorum occasione debebatur Pensio, tempore, quo mortuus est Pensionarius, per debitorem Pensionis jam omnes percepti sunt, 2. quo omnes adhuc eo tempore fuerunt pendentes, 3. quo fuerunt partim percepti, partim pendentes. Ad iūdūm dicit, eo casu integrum deberi Pensionem hæredibus defuncti Pensionarii, & hanc totam ad illos transire, aci percepta fuisset ab ipso Pensionario, ob paritatem, ut num. præc. dixi, cum usufructuario, cui æquiparatur Pensionarius, & rationem, quia Pensio non exacta est quid mērē temporale; consequenter ad hæredes Pensionarii transire debet,

ut advertit Card. de Luca disc. 28. cit. n. 3. citans Gabr. cons. 191. libr. 2. Gig. cons. 145. n. 7. & de Pension. q. 52. Bursat. Buratt. & addit. decis. 364. 448. 670. & 841.

idque cum his, & aliis DD. suprà allegatis verum esse ait Caccialup. l. cit. licet dies solutionis nondum advenerit, sicut hoc verum est respectu hæredum usufructuarii.

In 2do casu, quo fructus ejusmodi per debitorem Pensionis nondum erant percepti, sed adhuc pendebant omnes tempore mortis Pensionarii, & similiter pensionis solvendæ dies nondum advenit, dicit idem Caccialup. l. cit. nihil deberi hæredibus Pensionarii; nam indubitanter, ut ipse ibidem ait, tali casu nihil etiam debetur hæredibus usufructuarii

per l. defuncta, & l. Julianus. l. fructibus cit.

additque ita se vidisse consulendo responsum per famosissimos DD. Benedictum de Benedictis, Baldum, Bartolum, Perus, in quæstione vertente sensis inter hæredes fructuarii, & hospitale de scala proprietarium prædii, de cuius fructibus, & pensione agebatur. Consentit cum aliis

Gratian. discept. forens. c. 548. n. 48.

Imd, si Pensio tali casu jam fuisset anticipatò soluta Pensionario, antequam fructus fuissent collecti à debitore ad Pensionem obligato, vel quia ita fuit complacatum Pensionario indigenti, vel quia tempus solvendæ Pensionis præcessit tempus

collectionis fructuum ordinatione constitutentis Pensionem præscriptum, juxta eundem Caccialupum, & alios, hæredes Pensionarii tenebunt ad restitutionem illius, quod ita ante fructus à debitore Pensionis anticipatò solutum est Pensionario.

In tertio casu, quando fructus pro parte percepti sunt, pro parte non, ut fieri potest in fundo, qui partim frumentum, partim vinum, partim gramine, & foenum affert, tunc, si Pensio exigenda pro quilibet taxata, & conventa est, pro perceptis debet Pensio, non vero pro non perceptis. Caccialupo consentit

Roman. cons. 10. Alex. vol. 3. cons. 40. col. fin. ¶ quatenus verò, Salicet, in l. fructus. C. de act. empe. Gigas de Pension. q. 53. n. 4. & sic fuit firmatum in Rota in Pharense Pensionis 19. Jun. 1573. & est decis. 678. part. 4. recent.

Si verò non esset singulariter distincta, seu taxata pro singulis fructibus, sed pro omnibus unita, tum judicis æquitate deberebit ratio pro examinatione perceptorum, & ipsorum rata habebitur pro exacta, & respondens percipiendis pro non exacta.

Caccialup. l. cit. Lotter. de re benef. l. 1. q. 44. n. 30. & apud hunc Calder. Covar. Tiraquell. Hondeled. Rota decis. 278. n. 2. p. 2. recent.

qui hoc casu excipiunt fructus, qui quotidie percipiuntur, ut sunt herbæ hortorum; item fructus civiles, quales sunt operæ servorum, vecturae navium, pensiones ædium locatarum, & alii census pecuniariorum; nam in his haberi debebit ratio temporis decursi usque ad mortem Pensionarii, ita, ut si terminato anno Pensionario, per aliquot menses, e. g. tres supervixit Pensionarius, hæredi Pensionarii debeatur, quod correspondet excessui, consequenter, quod in tali supposito correspondet tribus mensibus; pro rata autem temporis futuri, seu excurrentis ultra tres illos menses fructus reliqui pertineant ad debitorem Pensionis, sicut deberentur proprietario rei, cuius ususfructus est consolidatus proprietati. Consentit Card. de Luca disc. 28. cit. n. 6.

Rationem hujus divisionis inter fructus partim perceptos, partim non perceptos dat

Tondut. de Pension. Ecl. c. 20. n. 43. quia cùmpensio debeatur intuitu fructuum, & sit onus reale super fructibus impositum, non convenit, ut Titularis eo tempore, quo fructus non perceptit, Pensionem exsolvat; contrà verò, si fructus, quorum respectu Pensio debetur, fuerint partim percepti, æquitas suadet, ut etiam pro illa rata debeatur Pensio, additque Tondutus l. cit. ab hac sententia non esse redditum. Ex quo etiam profluit, quod sicut, quando nihil de fructibus beneficii adhuc percepti obligatus ad Pensionem, & tamen istam Pensionario totam solvit, juxta

ta num. 13. tota Pensio à Pensionario accepta restituenda est solventi, ita in casu, quo fructus partim percepti, partim non sunt percepti, hæredes teneantur ad restitutio- nem pro rata nondum perceptorum, quod ita petat æquitatis ratio, cuius ibi maxime ha- benda est ratio, ubi lex, quid sit agendum, non dictat.

Ita Caccialup. q. 25. cit. n. 1. & seqq.
Gigas de pension. q. 53. per totam, maxime
sub n. ult. ¶ quid autem dicendum. Rim-
nald. Jun. cons. 634. n. 1. libr. 6. & alii
suprà citt.

Ratio est, quia Pensio, licet soluta fuerit, tamen soluta fuit respectivè ad fructus per- cipiendo s. Igitur in effectu est habenda ratio fructuum, i. e. ut ad illum spectet Pen- sio ante tempus soluta, ad quem spectare debet Pensio tempore mortis Pensionarii nondum soluta, nec exigibilis, & sic Pensio subrogetur loco fructuum quasi ad illos re- spectivè.

16. E contrario nihil in ordine ad restitutio- nem Pensionis à Pensionario acceptæ, & ejusdem hæredibus incumbentem faciet, si ille, qui ad Pensionem obligatus est, fructus perceperit, & ante tempus, quod solu- tionis præstitutum est, illos Pensionario solvit; nam eo casu solutio facta adhuc dicitur posticipata respectu fructuum per- ceptorum, anticipata autem quo ad eos, qui, quia tunc nondum maturati erant, à debito- re Pensionis nondum percepti sunt.

Lotter. de re Benef. l. 1. q. 44. n. 5. ci-
tans Gratian. discept. for. c. 148. n. 47.
& 48. Ventrigl. tom. 2. annot. 1. §. 3.
n. 6. & Rotam in Monopolit. pension. 10.
April. 1606.

Ut adeò totum negotium dirigit perceptio fructuum, non vero tempus solutioni Pen- sionis præstandæ statutum. Et hinc, ut bene advertit

17. Tondut. de pens. Eccl. c. 22. n. 7. &
seqq. & Leuren. p. 3. For. Benef. q. 560. n. 1.
sic. g. Pensio reservata, seu constituta est
10. Maii, & Pensionarius mortuus 25. Oct.
quo jam collecti sunt omnes fructus in ali-
quaque regione, debebitur ejus hæredibus to-
tius anni Pensio, & sic quoque integer
terminus iis solvendus erit festo Nativitatis
Domini. E contrario, si Pensio reservata
est 25. Oct. quo jam vindemia collecta est,
Pensionarius autem decepsit v. g. 3. Julii,
quo needum collecta messis, ejus hæredi-
bus non debebitur Pensio, nisi pro rata
fructuum perceptorum à die 25. Oct. ad 3.
Jul. (supponuntur enim alii anni præteriti
terminati illà 25. Oct. jam soluti) quæ erit
admodum exigua quantitas, dum fructus,
super quibus imposta est pensio, consiste-
rent tantum in frumento, & vino.

R. F. Schmalzgrueber Consilia
Paulò alter loquendum, si Pensio con-
stituta sit super fructus, qui dietim colli-
guntur, aut super fructus, quos appellant
civiles; tunc enim, ut num. 14. notavi, de-

bebitur Pensio hæredibus Pensionarii pro rata temporis decursi vivente Pensiona- rio, reliquum vero consolidatur cum fru- ctibus remanentibus debitori Pensionis. Caccialup. l. cit. Ethinc, si vivente Pen- sionario dimidiis annus decursus est, dimi- diata Pensio debebitur ejusdem hæredi- bus; si tres menses, pars ejusdem quarti; & integra demum, si integro anno Pen- sionarius supervixit.

Porro annus, ex quo regulari solet, & debet solutio in materia Pensionis, non in- telligitur annus solaris, qui incipit à Ca- lendis Januarii, multoque minus annus fructifer initiandus ex tempore, quo na- tura, jam exonerata à fructibus maturatis & collectis, novos concipere incipit, sed inchoatur ab eo momento, quo reservatur Pensio, qui propterea ad differentiam voca- tur annus Pensionarius: ideoque, si ille, cui reservata est Pensio, vivat v. g. per annos novem cum dimidio, prætendere non po- terit integrum Pensionem decem Recolle- starum, sed tantum novem ac mediata- tem decimæ, & sic proportionaliter, ac pro rata, non attento ordine terminorum, & an primus dici debeat anticipatus, vel po- sticipatus; quia, ut iteratè dictum est, ter- minorum constitutio concernit solam communitatem solvendæ Pensionis.

Card. de Luca disc. 28. cit. n. 5. alle-
gans decisionem Rotæ in Monopolitana
coram sacrato apud Marches. p. 1. fol.
642. passim receptam.

Ex his presuppositis per legitimam con- sequentiam sequitur resolutio quæstionis, Resolutio
totiusque causæ num. 1. propositi. Dicen- quæstio.
dum proinde est 1. antequam hæredes Pen- sionarii defuncti circa portionem Pen- sionis decursam prætensionem aliquam for- ment, inquirendum ipsis esse, qualis sit sty- lus, & praxis Cameræ Apostolicæ; an sci- licet juxta hunc, ut num. 2. ex Card. de Luca retuli, Pensiones inexactæ à Pensiona- rio defuncto, ad instar fructuum Beneficia- lium inexactorum, cadant sub spoliu. Quæ- praxis, & consuetudo fundamentum ha- bet ex declaratione Julii III. incipit, cum autem sicut, super Bulla ejusdem initii à se emanata 18. Junii 1551. in qua declaratione §. 2. vult, Constitutionem hanc su- am, ubi decernit, fructus Beneficio- rum, à Prædecessore Beneficiario in- exactos, cedere Successori in Beneficio, in Ecclesiis, Monasteriis, ac Beneficiis in locis, in quibus Collectores fructuum, & proventuum Ca- mera Apostolica debitorum deputari, seu esse con- juerunt, consistentibus locum non habere, nec effectum aliquem sortiri posse, aut debere, & omni- nino, cā non obstante, consuetudines, & particu- laria iura, seu privilegia cuiuslibet loci, in quo Col- lectores hujusmodi deputari, seu esse con- juerunt, in præmissis vigentia conservanda, & execu- ti mandanda esse. Quam declarationem deinde etiam confirmavit Urbanus VIII.

Con-

18.

(Zz)

Constit. incipit aeternus rerum Conditor editâ s. April. 1628. ubi §. 4. refert decretum in plena Camera Apostolica 13. Januarii 1625. desuper emanatum, & §. 10. addit, sic, & non aliter - per quosunque Judices Ordinarios & Delegatos - judicari, & definiiri debere. Quibus Constitutionibus accedunt complures resolutiones S. Congregationis id ipsum jus spolii Cameræ Apostolicæ tribuentis. Cum ergo prædictæ Constitutiones, decreta, & resolutiones etiam quoad Pensiones inexactas, perpetuâ experientia teste, in viridi sint observantia, quod quotidie videamus vel a titularibus Beneficiorum, vel ab hæredibus Pensionariorum Cameræ Apostolicæ supplicari pro congrua reductione, talisque reduktiones & super fructibus inexactis compositiones cum eadem Cameræ fieri soleant in locis, ubi dicta Camera Collectores fructuum, & proventuum sibi debitorum habet, merito eadem Camera etiam in casu nostro eos de fructu hactenus inexactos secundum ratam temporis, & proportionem fructuum a debitore pensionis perceptorum sibi vindicare poterit, nisi vel ipse, vel hæredes Pensionarii defuncti circa hanc portionem cum eadem Camera Apostolica velint componere, quod juxta num. 4. possunt, & juxta modò dicta fieri saepe consuevit, prout recentissimum exemplum habemus in Eminentissimo Cardinale Gozzadini, qui super pensione, quam Eminentissimo Tanara debebat pendere, ratione quadrimestris temporis, quo iste ultra ultimum terminum supervixit, post hujus mortem composuit, & primùm quidem tertiz, deinde etiam dimidiæ partis relaxationem obtinuit.

20. 2do. Si Pensiones inexactas à Pensionario, non cadant sub spolium, non obstantibus argumentis, quæ num. 3. proposui, & num. 5. solvi, Pensio inexacta, & Pensionario, si supervixisset, debita, transmittetur ad hæredes ejusdem: Quam resolutionem non convellet Constitutio Julii III. cit. ubi vult, ut in locis, in quibus Collectores fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum depurari, seu esse non solent, fructus Beneficiorum à defuncto Beneficiario inexacti cedant successori ejusdem; nam alia est ratio Beneficiorum, alia Pensionis: hæc enim, cum morte Pensionarii extinguitur, successorem non habet, & insuper, ut n. 12. monui, est quid mere temporale, ut adeò ad hæredes Pensionarii, nisi aliud quid circa hanc constitutum sit, transire possit, & debeat: ut proinde ex dicta Constitutione à fructibus Beneficii ad fructus Pensionis duci argumentum nequeat. Non poterunt autem hæredes pretendere Pensionem integrum, quæ pendi debuisset, si Pensionarius vivendo inte-

grum complesset terminum, ut num. 6. contra Rebuffum ostendi, sed pro rata frumentum, à Titio Pensionis debitore tempore, quo supervixit Pensionarius, perceprorum, prout hoc probat authoritas Doctorum num 9. allegata, & monstrat ratio data num. 10. Quod ipsum dicendum de Camera Apostolica, si hæc jus spolii in loco, ubi Abbatia Pensione onerata constituta est, habeat; plus enim hæc de fructibus inexactis non potest petere, quam quantum alias competuisse hæredibus Pensionarii, cum utrobius sit eadem ratio, nempe quod ipse Pensionarius in aliis fructibus, a debitore Pensionis nondum perceptis, jus quæsumum non habeat, & sic istud jus non ad hæredes, nec ad Cameram, quæ solum prætendit id, quod Pensionario debebatur, transmittere queat, ut proinde dicendum sit, quoad hos fructus a debitore pensionis nondum perceptos, onus Pensionis cessare, illosque fructus consolidari cum Beneficio prius onerato, quod hoc modo ab onere isto fit liberum. Debet ergo in hoc casu fieri computatio fructuum a debitore Pensionis perceptorum, & secundum eorum proportionem excipi portio nomine Pensionis solvenda. Hoc autem procedit in casu, ubi Pensio consistit in frumento, oleo, vino, & aliis fructibus, qui temel tantum in anno gignuntur;

nam
3. Si pensio consisteret in fructibus, qui dietim nascuntur, aut in fructibus, quos appellamus civiles, juxta num. 14. debet haberi ratio temporis decursi usque ad mortem Pensionarii: consequenter, cum in casu præsenti Pensionarius ultra terminum Nativitatis Domini per tres menses supervixerit, vel Cameræ Apostolicæ, vel ejus hæredibus debebitur portio, quæ respondet huic excessui temporis, pro reliquo autem tempore Pensio habebitur pro extinta, & debitor Pensionis Titius censabitur liber ab onere Pensionis solvenda, quippe quæ morte Pensionarii extinguitur, nisi Pontifex iterum nova pensione onerare Abbatiam, de qua in casu præsenti sermo est, velit. Neque in hoc casu

4to. Obstat, quod tempus Pensionis solvenda nondum fuerit lapsum, quando Pensionarius è vivis exessit; nam ut num. 7. & 11. monui, termini temporis, pro solutione Pensionis præstituti non videntur adjecti, nisi ex causa solutionem alias solitam dividendi, nudamque ejus præstacionem pro certo tempore designandi, consequenter solam commoditatem solutionis, non vero substantiam Pensionis concernunt: atque ita jam ante termini talis decursum debebitur Pensio pro rata decursi temporis, licet ante termini totius lapsum à Pensionario illa peti nequeat.

Con-